

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5299

**Auteur(s) :** Jean Vascelin, fils de Pierre Vascelin [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Robert Goubert, Baupmois (archidiacre)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1260, février

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Jean Vascelin, fils de Pierre Vascelin, vend à Robert Goubert archidiacre [du Baupmois] pour cent livres une rente de dix livres sur ses biens et droits à Barfleur, Montfarville, Gatteville et Sainte-Genève.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 26, p. 122-124.

## Dissertation critique

(v. st.)

Texte établi d'après a

Noverint universi presentes et futuri quod ego, Johannes Wascelin, filius quondam Petri Vasscelin, vendidi et concessi et omnino finaliter dimisi magistro Roberto Goubert, archidiacono in ecclesia Constantiensi, decem libras tur. annui redditus, pro centum libris tur., quas recepi ab eodem. Quos redditus habebam et jure hereditario possidebam de me et antecessoribus meis in hominibus, feodis, tenementis et actionibus in parrochiis de Barefluctu, de Morfavilla, de Gatevilla et de Sancta Genovefa.

Videlicet apud Barefluctum, homagium, actionem et redditum quem michi reddebat Rogerus le Careter, scilicet quadraginta solidos tur., videlicet medietatem ad nundinas Sancte Petronille et aliam medietatem ad Natale Domini, pro quadam domo sita juxta manerium meum de Barefluctu ex una parte et domum filie Bidon ex altera, et tres solidos tur. pro quadam domo sita in venella Pepin juxta domum Gaufridi le Careter ; item homagium, actionem et redditum quem michi reddebat Nicholaus Roscelin pro quadam domo sita juxta domum Anquetil le Sochon ex una parte et venellam ubi manet Willelmus de Carnavilla ex altera, scilicet triginta solidos tur. ad dictos terminos, medietate ad medietatem percipiendos ; item homagium, actionem et redditum quem michi reddebat Willelmus Feret pro quadam domo sita juxta domum Nicholai Quenivet ex una parte et domum Roberti le Bedel ex altera, scilicet decem solidos ad dictos terminos ; item homagium, actionem et redditum quem michi reddebat Johannes de Ruello pro quadam domo sita juxta plateam que fuit Unfrido de Ruello ex una parte et domum Dei ex altera, scilicet tredecim solidos tur. et quatuor denarios ad dictos terminos ; item homagium, actionem et redditum quem michi reddebat Radulphus Carbonnel pro quadam platea jacente retro manerium suum, scilicet decem solidos ad dictos terminos et unum panem de duobus denariis et unum caponem ad Natale Domini.

Item apud Morfarvillam, homagium, actionem et redditum quem michi reddebat Robertus Foutet pro tribus virgatis terre jacentis juxta terram Willelmi le Fauc ex una parte et terram Roberti de Moncello ex altera, et pro

dimidio virgate terre site inter dictas terras, videlicet quatuordecim bussellos frumenti ad mensuram de Morfarvilla ad festum sancti Michaelis, quinque denarios pro pane et duos capones et dimidium ad Natale Domini ; item homagium, actionem et redditum quem michi reddebat Robertus de Moncello pro tribus virgatis terre et dimidio virgate site juxta terram Willelmi le Fauc ex una parte et terram Roberti Foutet ex altera, scilicet quatuordecim bussellos frumenti ad mensuram de Morfarvilla ad festum sancti Michaelis et quinque denarios pro pane et duos capones et dimidium ad Natale Domini.

Item apud Gathevillam, homagium, actionem et redditum quem michi reddebat Willelmin le Folun pro sex virgatis terre site juxta allodia domini regis ex una parte et terram que fuit Ricardo dicto Lepori ex altera, scilicet sexdecim bussellos frumenti ad mensuram de Gatevilla ad festum sancti Michaelis ; item homagium, actionem et redditum quem michi reddebat Gaufridus Torgot pro tribus virgatis terre site juxta terram Gaufridi de Hamello ex una parte et vicum ex altera, item pro quadam pecia terre site juxta terram Gaufridi de Hamello ex una parte et terram Johannis dicti Heredis ex altera, item pro dimidio acre terre site apud Crucem de Danevilla, juxta terram Philippi de Houga ex una parte et terram filiorum Radulphi Torgot ex altera, item pro una virgata terre apud Riqueron site inter feodum domini de Gatevilla ex utraque parte, scilicet dimidium busselli frumenti et viginti et quinque bussellos ordeï ad mensuram de Gatevilla ad festum sancti Michaelis et septem denarios pro pane, dimidium caponis et quinque gallinas ad Natale Domini et viginti et quatuor ova ad Pascha.

Item apud Sanctam Genovefam, homagium, actionem et redditum quem michi reddebat Nicholaus le Ros Durdemer pro novem virgatis terre site apud Vallum de Danevilla juxta terram Willelmi de Neauhou ex una parte et terram Guerondi de Valle ex altera, scilicet viginti et unum solidos tur. ad nundinas Sancte Petronille, tresdecim pro [pane] et tres gallinas ad Natale Domini.

Hec omnia supradicta dictus Robertus Goubert vel heredes sui vel cui dare vel elemosinare, seu etiam assignare voluerit, tenebunt et jure hereditario possidebunt libere, pacifice et quiete ab omnibus [...] et rebus aliis ad me et heredes meos pertinentibus, absque ulla contradictione seu reclamatione mei vel heredum meorum super hoc in posterum facienda tenemur etiam ego et heredes mei dicto magistro et heredibus suis, vel cui dare vel elemosinare seu assignare voluerit, omnia predicta garantizare et deffendere bona fide contre omnes vel ad valorem in propria hereditate mea excambiare, si garantizare non potuerimus, et si autem dampna, labores, expensas vel deperdita dictus magister vel ejus heredes seu illi quibus predicta dederit, assignaverit sive elemosinaverit, occasione hujus venditionis, garantizationis seu excambiationis passi fuerint, eisdem ipsa integre in omnibus laboribus precio ego et heredes mei predictum suum tenemur restituere. Et ut hoc firmum et stabile permaneat in futurum, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Datum anno Domini M° CC° LX°, mense februario.